

TRACTATUS IX

DE SEXTO PRÆCEPTO DECALOGI

PUNCTUM I.

DE TACTIBUS, ASPECTIBUS, ET VERBIS
TURPIBUS.

4. et 2. *An detur parvitas materiæ in delectatione carnali, aut sensibili.*
3. *De tactibus.*
4. *De choreis.*
5. *De muliere permittente se tangi.*
6. *An puella oppressa teneatur clamare.*
7. *An possit unquam permittere sui violationem.*
8. *De aspectibus.*
9. *De verbis.*
10. *De Audientibus verba turpia.*

1. Peccatum contra hoc præceptum est materia maxime ordinaria in confessionibus, et est vitium quod replet infernum animabus; quare plura de hoc præcepto sigillatim disseremus. Monemus autem ne hæc, nisi a confessoribus, legantur, aut ab iis sacerdotibus, qui ad audiendas confessiones se capaces efficere cupiunt; imo rogamus istos ne legant in hoc, aut alio libro de hac materia (quæ sola lectione sua mentem inficit) nisi post omnes alios tractatus, et cum jam administrandum SS. Pœnitentiæ Sacramentum proximi sunt.

2. Ante omnia advertendum, quod in materia luxuriæ (quidquid aliqui dicant de levi attractione manus fœminæ, vel de intorsione digiti) non datur parvitas materiæ; ita ut omnis delectatio carnalis, cum plena advertentia et consensu capta, mortale peccatum sit. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII. propos. 40. quæ dicebat *non esse mortale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur.* Et sic etiam reprobanda est opinio admittentium parvitatem materiæ in delectatione sensibili, nempe si vir delectetur de contactu manus fœminæ, tamquam de contactu panni serici; quia in hoc saltem adest pro-

ximum periculum incidendi in delectationem carnalem (1). Bene tamen advertit Continuator Tournæy (2) aliud esse agere propter delectationem, aliud cum aliqua delectatione naturali, quæ de se consurgit ex qualitatibus corpori annexis, quia in ea potest quidem dari parvitas materiæ, puta in medico qui ex necessitate mulierem tangit; modo (addendum) curet ille non sistere in tali delectatione; eamque tangendo detestetur; alias jam ageret propter delectationem, quæ licet naturalis sit, tamen (ut diximus) non est sejuncta a proximo periculo transeundi in carnalem, si ex proposito queratur. His positis, procedamus ad loquendum de singulis luxuriæ speciebus. 1. De non consummatis; 2. de naturalibus consummatis; 3. de consummatis contra naturam.

3. Et I. de tactibus. Extra matrimonium mortales sunt omnes tactus, oscula et amplexus ob delectationem carnalem exerciti, omnes enim ejusdem sunt nature quam actus consummatus; unde explicandum in confessione, an habiti sint cum eodem, an cum diverso sexu, et an cum persona conjugata, aut sacra. Et sic pariter mortalis est tactus propriorum genitalium, et maxime cum commotione spirituum, nisi fiat ex necessitate; si autem ex curiositate vel levitate fiat, poterit esse tantum veniale, modo tamen sit obiter, ac sine mora, absque commotione spirituum, aut scandalo, aut periculo delectationis. Tactus autem verendorum alterius corporis, maxime si sint nudi, et fortius si diversi sexus, veliam secluso affectu venereo habiti, vix unquam excusantur a mortali. Excipiantur nisi fiant ob necessitatem,

(1) Lib. 3. n. 415. et 416. — (2) Tr. de Dec. c. 3. de 6. præc. art. 8.

puta a chirurgo, dummodo ipse in delectationem non consentiat. Tangere autem genitalia brutorum, per se non est lethale, sed tactum hujusmodi usque ad pollutionem, merito Bonac. Holzman Croix, etc. contra aliquos, non excusant a mortali, cum sit actio valde incitans ad venerem (1).

4. Chœreæ si fiant laicis, et modo honesto, sine inhonestis gesticulationibus aut periculosis, non sunt per se illicitæ, ut loquitur d. Antoninus cum aliis (2).

5. Mulier, aut adolescens non peccat, si permittat se pudice juxta morem tangi, nisi (excipe) ei constet de pravo affectu tangentis, possitque tunc resistere sine sua infamia, aut scandalo aliorum, ut docent Cajet. Azor. Sa Bonac. Busemb., etc. Peccat vero si non obsistat tactibus impudicis, aut osculis morosis, vel furtivis (3).

6. Hic dubitatur 1. an puella oppressa teneatur clamare si oporteat ad se liberandam a turpitudine? Alii ut Navar. Soto Bonac.; etc. si ipsa resistit omni modo quo potest, et si clamando periculum ei imminet infamiae, eam excusant, nisi sit in periculo consentiendi; nec ob stare dicunt illud Deuteronomii 22. 24. ubi damnatur puella, quia non clamavit, eo quod (ut aiunt) tale præceptum pertinebat ad externum judicium, in quo præsumebatur puella non clamans consensisse. Alii vero ut Cajet. et Salm. cum aliis, affirmant, et hæc quidem sententia ut tutior consulenda est (licet opposita non sit damnanda) maxime si proximum non adsit periculum consensus (4).

7. Dubitatur 1. an mulier teneatur potius mortem pati vi repellendo invasorem, quam sui violationem permittere? Negant Tolet. Sotus Navar. Holzm., etc. modo voluntate resistat, absitque periculum consensus. Sed hæc opinio in praxi non videtur probabilis, quia mulier quiescendo in

(1) Lib. 3. n. 417. ad 422. — (2) n. 429. — (3) n. 430. — (4) Ib. v. Utrum.

tali congressu, nimis difficulter poterit se eximere a periculo consentiendi in illum (5). An autem et quomodo liceant tactus inter conjuges, aut sponso? Vide quæ dicentur de matrimonio Tr. 18. n. 42.

8. II. De aspectibus. Aspiciere videntem personæ diversi sexus, difficulter excusatur unquam a mortali, nisi forte aspectus fiat e loco valde longinquo, et ita obiter ut nullum periculum delectationis adsit. Et etiam loquendo de verendis personæ ejusdem sexus, non excusarem a mortali virum morose, et delectabiliter aspicientem pulchrum adolescentem nudum. Censeo tamen cum La-Croix (quicquid dicant Salmant.) simplicem aspectum turpem, sine desiderio tactuum, nunquam induere speciem personæ quæ aspicitur, nimirum consanguineæ, sacre, aut conjugatæ; species enim incestus, sacrilegii, vel adulterii non contrahitur, nisi per tactum quo pietas, vel jus conjugii violatur (6). Aspiciere concubitum humanum sine dubio est lethale: brutorum vero, valde periculosum, unde nulli permitendum nisi tantum illis quibus incumbit animalia conjungere ad generationem: modo absit in ipsis periculum consentiendi in turpia (7) Aspiciere autem partes minus honestas mulieris, sed non turpes, nempe brachia, crura, aut pectus, non semper est per se mortale, sed si aspectus sit deliberatus et diuturnus, aut si aspiciens sit ad venerem proclivis. difficillime a mortali excusabitur; et idem sentio de eo qui vultum mulieris pulchræ morose inspicit, saltem si inordinato affectu eam diligit (8). Aspiciere, pecturas obscœnas ex mera curiositate, dicunt a non esse mortale, si absit periculum turpis delectationis, sed vir morose aspiciens pudenda muliebria depicta nuda, vel levi velo tecta, nescio quomodo a mortali excusari possit (9).

(5) n. 368. — (6) Lib. 3. n. 421. — (7) n. 419. — (8) n. 422. et 423. — (9) n. 424.

Qui autem pingunt vel exponunt hujusmodi imagines, gravissimo peccato scandali delinquunt, cum ipsæ valde adolescentes ad libidinem provocent (1). Et idem puto dicendum de iis qui eas domi retinent expositas omnium aspectui.

9. III. De *verbis*. Verba obscœna non sunt mortalia, si proferantur ex ira aut joco, prout solent messorum, vindemiatum et mulionum. Secus si verba sint nimis lasciva, aut si proferantur cum ipsarum rerum turpium delectatione vel cum audientium scandalo, quod ut plurimum adest, si hujusmodi verba dicuntur coram puellis aut pueris, et maxime si quis se jactat de aliquo peccato turpi, in quo se jactans tripliciter ordinariè peccat, 1. quia gloriatur de re mala, 2. quia magnum præbet scandalum, 3. quia de facili se complacet de peccato patrato (2). Insuper hic sedulo notandum cum Salmant. et Roncagl. ex d. Thoma, non esse sine gravi periculo diuturnum colloquium cum puella inordinate dilecta (3).

10. Audientes autem verba turpia, aut turpes comœdias tantum ob curiositatem, aut ob vanum solatium, possunt aliquando excusari a mortali; nisi adsit delectatio turpis, vel illius periculum, quod facile fere semper aderit in adolescentibus, vel aliis parum timoratae conscientiæ (4); aut nisi adsit scandalum: et ideo merito docet Bened. XIV. (5) clericos, et Religiosos non posse comœdiis turpibus interesse sine scandalo gravi. Et etiam merito Holzman et Lacroix propter scandalum aliorum damnant de mortali eos qui pecunia aut plausa cooperuntur ad hujusmodi comœdias notabiliter turpes; eosque qui eas impedire tenentur, aut commode possunt, et non impediunt; ac fortius qui illas repræsentant (6). Gravissime quoque peccant qui libros

(1) N. 429, v. Exhibentes. — (2) L. 3. n. 426. — (3) N. 422. in fin. — (4) n. 426. et 427. — (5) De Synodo l. 44. c. 40. — (6) L. 3. n. 427. et 428.

componunt incitantes ad turpia, vel ad inhonestos amores (7). Hactenus de actibus luxuriæ non consummatis, nunc videamus de speciebus turpibus consummatis.

PUNCTUM II.

DE ACTIBUS TURPIBUS CONSUMMATIS NATURALIBUS.

11. De fornicatione.
12. An permittendæ meretrices.
13. An fornicatio sponzorum sit diversæ speciei.
14. De stupro.
15. De raptu.
16. De adulterio.
17. et 18. De incestu.
19. Si dispensati cœant, etc.
20. Ad 23. De sacrilegio.

11. I. De fornicatione. Fornicatio est coitus inter solutos ex mutuo consensu. Concubinatus autem non est aliud quam continuata fornicatio habita uxorio modo in eadem, vel alia domo. Quando vero concubinari possint vel ne absolvi, vide quæ dicuntur infra de iis qui sunt in occasione proxima *Tract. ult. Punct. 1. per totum*. De penis autem concubinariorum, et præsertim clericorum vide (8).

12. Dubitatur hic 1. an permittendæ sint meretrices? Alii affirmant ex d. Thoma, quia plura graviora crimina alioquin evenirent. Sed probabilius negant Navar. Roncagl. Gutierrez et alii, quia permittendo meretrices innumera peccata jam patrantur, et contra, mala graviora non evitantur. Cæterum sedulo omnino advertendum, quod esto in magnis urbibus meretrices permitti possent, nunquam tamen permittendæ in oppidis aut civitatibus parvis (9).

13. Dubitatur 2. an fornicatio sponzorum diversam induat speciem peccati? Alii id affirmant de utroque sponso; alii tantum de sponsa; alii vero satis probabiliter de utroque negant, ut Pontius Sanchez Laym Lugo Salm. Trullench. Covarr. Ledesma Elbei etc. quia uterque spon-

(7) Ibid. — (8) L. 3. n. 442. — (9) n. 434

sus licet se obliget ad matrimonium ineundum, neuter tamen aliquod jus tradit alteri in corpus suum, ita ut nequeat illo ad suum arbitrium uti sine alterius injuria (1).

14. II. De stupro. Stuprum est defloratio virginis ipsa invita, et ideo præter fornicationis malitiam habet etiam injustitiæ. An autem virgine consentiente sit speciale peccatum? Affirmant Navarr. Azor. etc. sed communius negant Less. Sanch. Bonac. Busemb. Salmant. Barbosa etc. Potest tamen aliunde esse specie diversum, nimirum ratione decoris familiæ, mœroris parentum, aut rixarum (2). Ad quid vero teneatur stuprator, vide dicenda de 7. præc. *Tract. 10. n. 91. et seqq.*

15. III. De raptu. Raptus committitur, cum abducitur fœmina aut masculus libidinis causa, illata vi personæ illius, vel iis quibus ipsa subest, nempe parentibus, aut tutoribus (3). Ad quid autem teneatur raptor, vide de matrimonio *Tract. 18. num. 76.*

16. IV. De adulterio. Adulterium est copula habita cum persona conjugata, estque speciale peccatum injustitiæ, etiamsi adsit consensus mariti, ut constat ex propos. 50. damnata ab Innoc. XI, quia per adulterium irrogatur injuria non solum ipsi, sed etiam proli, et generationi humanæ. Hinc sentiunt Lugo, et Lessius (4) quod in adulterio, dissentiente marito, duplex adest injustitia, sed Viva (5) cum Cajet. et Turriano tenet unicam tantum adesse injustitiam contra bonum generationis, eo quod per adulterium inferatur injuria marito non ut personæ privatæ, sed ut marito; ac ideo ad ipsum spectat consulere proli bono, cui nequit ipse cedere, sicut nequit quis consentire, ut membrum ei ab altero mutiletur. Qui sodomitice co-

(1) n. 447 et l. 6 n. 847. — (2) l. 3 n. 443. — (3) n. 444. — (4) Lugo de Penit. d. 46. n. 218. et Less. l. 2 c. 7. dub. 3 — (5) In propos. 50. damn. ab Innoc. XI. n. 10.

gnoscit uxorem, ex communi sententia committit adulterium, et debet explicare, peccasse nefande cum propria uxore (6). Ad quid autem teneantur adulteri, si proles ex adulterio nascitur; vide de rest. *Tract. 10. n. 101.*

17. V. De incestu. Incestus est congressus cum consanguinea vel affine, ex copula licita usque ad quartum gradum; ex illicita usque ad secundum. Hic dubitatur 1. an incestus cum consanguinea differat specie ab incestu cum affine? Affirmant probabiliter Less. Salm. Ronc. Croix, etc. quia in consanguinitate vinculum est ab ideitate sanguinis, in affinitate autem est a copula, unde diversa videtur difformitas. Alii vero, ut Sotus Cajet. Sanchez Lugo etc. probabilius negant, quia uterque incestus ex eodem motivo pietatis vetatur, et consentit d. Thomas (7) dicens: *Ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas, et affinitas*. Omnes autem incestus inter affines ex communi sententia sunt ejusdem speciei, excepto incestu inter privignum, et novercam, interque socerum, et nurum (8).

18. Dubitatur 2. an omnes incestus cum consanguineis sint ejusdem speciei? Tres sunt sententiæ omnes probabiles. Prima cum Cajet. Pontio Soto Navar. Castrop. etc. affirmat, excepto primo gradu in linea recta; quia (ut dicunt) commixtio conjugalis inter alios consanguineos tantum ab Ecclesia est vetita, non vero a naturali jure, per quod specifica diversitas solummodo constituitur. Secunda sententia cum Suarez Vasq. Laym. etc. tenet omnes gradus usque ad quartum speciem diversam incestus constituere, quia major debetur reverentia proximiori gradui quam remotiori. Tertia demum cum Lessio Lugo Sanch. Roncagl. etc. dicit tantum primum gradum, tam in linea recta, quam in

(6) L. 3. n. 446. — (7) 2. 2. q. 154 a 9. ad 2. — (8) Lib. 6. n. 469.

transversali constituere diversam speciem; quia sentiunt commixtionem inter fratres et sorores ab ipsa natura esse vetitam (1). Certum autem est quod incestus inter cognatos spirituales, et legales (ratione scilicet adoptionis) sunt diversæ speciei, quam inter consanguineos et affines (2).

19. Dubitatur 3. an cognati, ob tentata, et executata dispensatione ad matrimonium ineundum, committant incestum si ante conjugium fornicentur? Adest duplex probabilis sententia. Alii communis negant, ut Sanch. Lugo Cajet. Armilla et Vega; quia, sublata prohibitione matrimonii, cessat ratio incestus. Alii vero, ut Major et Gallego affirmant, quia impedimentum propinquitatis ablatum est tantum ad nuptias contrahendas, non autem ad fornicandum (3).

20. VI. De sacrilegio. Sacrilegium est, cum violantur Sacra per actum venereum. Potest igitur sacrilegium committi circa personam, locum et rem. Et I. circa personam fit, si quis peccat habens votum castitatis, vel cum habente illud. Hinc sacerdos peccans cum alia persona sacrata duplex committit sacrilegium. Contra vero Religiosus qui est etiam sacerdos, castitatem lædendo probabilis unum sacrilegium committit, tum quia sacerdos probabilis tantum ratione voti Ordini sacro annexi tenetur ad castitatem (ut dicemus in *exam. Ord. n.* 59.); tum quia talis, etiamsi teneretur ad castitatem ex solo præcepto Ecclesiæ, tamen adhuc contra religionem peccaret, cum Ecclesia tantum ex motivo religionis castitatem præcipit (4). Sacerdos autem inducens suo consilio laicum ad fornicandum, committit sacrilegium si ex affectu ad libidinem inducit; secus si ex alio pravo fine (5).

21. II. Circa locum, committit sa-

(1) L. 6. n. 470. — (2) l. 3. n. 450. — (3) n. 452. — (4) n. 454. ad 456. — (5) n. 457.

crilegium qui fornicatur in loco sacro, nempe intra ecclesiam, aut cæmeterium, non autem in atrio ecclesiæ, monasterio, aut oratorio privato non benedicto ab Episcopo (6). Dubitatur hic I. an copula maritalis, aut occulta habita in ecclesia sit sacrilegium? Adest triplex probabilis sententia. Alii negant de maritali, ut Alensis Pontius Sa etc.; alii negant de occulta, ut idem Pontius Tolet. Vasq. Azor. etc.; alii vero communius et probabilius de utraque affirmant, quia per utramque irreverentia irrogatur ecclesiæ, et ecclesia polluitur; tametsi, cum crimen sit occultum, non est obligatio a divinis officiis abstinere; ita Suar. Sanch. Less. Holzman Croix Bonac. Salm. etc. Attamen idem aa. merito excusant conjuges copulantes in ecclesia, si ipsi sint in morali necessitate et undi, puta si sint in periculo incontinentiæ, vel si diu in ecclesia permanere debeant. Quomodo autem intelligendum illud *diu*; alii putant decem dies; alii vero probabilius mensem aut saltem 20 dies. At si conjuges judicent se per mensem esse in ecclesia mansuros, advertunt Sanchez Salmant. et alii; eos ab initio copulari posse (7).

22. Dubitatur II. an omnes actus externi impudici habiti in ecclesia, nempe tactus, aspectus, aut verba sint sacrilegia? Negant Cajet. Navarr. Bonac., etc. eo quod tantum per seminis effusionem ecclesia polluitur. Sed probabilis affirmant Suarez Sanchez Molina Salmant. etc. quia his actibus, licet non violetur ecclesia, tamen jam illi irrogatur irreverentia. Actus vero interni sive cogitationes non sunt sacrilegia, nisi sint de peccando externe in ecclesia (8).

23. III. Circa rem demum committit sacrilegium, qui abulitur rebus sacris ad turpia. Idem dicendum de sacerdote qui turpiter peccat indutus ad Missam, aut gestando Eucharis-

(6) n. 460. — (7) L. 3. n. 458. — (8) n. 459. ad 462.

nam, aut statim post Communionem, v. g. infra mediam horam (1) Egi-mus de speciebus turpibus naturalibus, nunc de iis quæ sunt contra naturam.

PUNCTUM III.

DE ACTIBUS TURPIBUS CONSUMMATIS
CONTRA NATURAM.

24. 25. et 26. De sodomia.

27. De bestialitate.

28. De coitu cum demone.

29. De pollutione.

30. De distillatione.

31. An liceat expellere semen corruptum.

32. An teneamur impedire pollutionem de se eventientem.

33. An vitare omnes pollutionis causas.

34. Quid si actiones ponantur ex justa causa.

24. Et I. de sodomia. Sodomia habet quidem specialem deformitatem. Dubitatur autem inter dd. in quo ipsa consistat. Alii sentiunt consistere in concubitu ad indebitum vas; alii vero communius et probabilius cum D. Thoma, in concubitu ad indebitum sexum. Hinc infertur I. quod coitus fœminæ cum fœmina, et masculi cum masculo, perfecta est sodomia, in quacumque parte corporis fiat congressus, quia ordinarie semper adest tunc affectus ad indebitum sexum; ideo non est opus explicare in confessione, an pollutio fuerit intra vel extra vas præposterum, quamvis ad incurrendum casum reservatum requiratur seminatio intra vas, ut ait P. Mazzotta (2). Censeo vero in sodomia omnino explicandum in confessione (quicquid dicant Salm.), an quis fuerit agens vel patiens, quia patiens non facile semper polluitur ut agens, prout non bene Salm. supponunt (3). Imo explicandum si sodomia habita sit per vim, vel cum conjugata, aut habente votum castitatis (4).

25. Infertur 2. coitum viri in vase præpostero mulieris esse sodomiam

(1) n. 463. — (2) Mazzot. t. 3. p. 519. de cas. res. — (3) Vide opus nostrum l. 3. n. 468. — (4) n. 469. in fin.

imperfectam, specie distinctam a perfecta. Si quis autem se pollueret inter crura aut brachia mulieris, duo peccata diversa committeret, unum fornicationis inchoatæ, alterum contra naturam. An pollutio in ore sit diversæ speciei? Affirmant aliqui, vocantque hoc peccatum *irrumationem*, dicentes quod semper ac fit pollutio in alio vase quam naturali, speciem mutat. Sed probabilius sentiunt Cajet. Filliac. Holzm. Graffius, etc. quod si pollutio viri fit in ore maris, est sodomia; si in ore fœminæ, est fornicatio inchoata, et insuper peccatum contra naturam, ut mox diximus. Coitus autem cum fœmina mortua non est bestialitas, ut quidam aiunt, sed est pollutio, et insuper est fornicatio affectiva (5). Præterea pollutio habita tangendo puerum vel mulierem dormientem, absque tamen concubitu siye conjunctione corporum, non habet nisi simplicis pollutionis malitiam ut probabilius dicunt Salm. Cajet. Azor. Bonac. etc. Item qui polluitur tactibus alienis, jam dupliciter peccat cooperando peccato alterius; non tenetur vero explicare an tactibus maris, vel fœminæ, nisi illa habeat virum, aut votam castitatis (6). Item probabilis est cum Lugo Silvest. Salm. Roncaglia Croix etc. contra aliquos, quod tam sodomia, quam omnes tactus impudici inter consanguineos aut affines, vel cognatos spirituales, aut legales induunt malitiam etiam incestus, cum eandem habeant deformitatem quam actus consummatus (7).

26. Quoad penas sodomitarum, si sint laici, damnantur morte et combustione. Clerici vero et Religiosi per Bullam 27. s. Pii V. editam die 30. Aug. 1568. *Horrendum*, privantur omni officio, beneficio, et privilegio clericali; dummodo (ut docent dd.) sodomia 1. sit cum alio viro, non fœmina, aut bruto; 2. sit perfecta cum pollutione intra vas; 3. sit fre-

(5) L. 3. n. 466. — (6) n. 467. — (7) n. 469.

quentata, dum dicitur in Bulla, *sodomiam exercentes*. Probabilius est has pœnas incurrere etiam patientes, ut dicunt Bonac. Salm. Diana et Barbosa, contra alios, dum patientes sunt vere sodomitæ. Contra vero probabilius et communius docent Suar. Navarr. Bonac. Barbosa Less. Fill. Trullench. Salmant. etc. (adversus Azor. Dicast. etc.) has pœnas non incurrere nisi post sententiam, quamvis dicatur in Bulla: *Præsentis Canonis auctoritate privamus*; quia ut diximus in *Tract. 2. n. 25.* nulla pœna privans jure acquisito incurritur, nisi post sententiam, saltem declaratoriam (1).

27. II. De *Bestialitate*. Bestialitas est coitus cum bestia; ipsaque detestabilior est quam sodomia. Non oportet autem explicare an bestia fuerit mas vel femella, ut communiter docent dd. contra paucos, quia tota hujus criminis deformitas est in accessu ad speciem diversam (2).

28. Coitus cum dæmone succubo vel incubo, uti communissime sentiunt Azor. Cajet. Bonac. Fill. Salmant. Busemb. etc. reducitur ad peccatum bestialitatis, addita tamen malitia culpæ contra religionem, et etiam fornicationis, aut sodomitæ affectivæ, si dæmon appareat in forma pueri aut mulieris; et etiam adulterii, aut incestus, si quis delectetur de coitu cum dæmone tamquam cum nupta vel conjuncta, juxta quæ diximus de delectatione *morosa Tr. 3. n. 48* (3).

29. III. De *Pollutione*. Pollutio est seminis effusio sine congressu cum alio; ipsaque est vetita de jure naturali, ut patet ex propo. 49. damnata ab Innoc. XI. Unde per se est peccatum gravius quam fornicatio, cum sit contra naturam. Pollutioni autem additur malitia sacrilegii, si sit ab habente votum castitatis; adulterii, si a conjugato; item fornicationis, si quis se polluendo delectatur tanquam de coitu cum fœ-

(1) N. 470. ad 473. — (2) L. 3. n. 474. — (3) n. 475.

mina, vel sodomitæ, si cogitet coire cum puero (4).

30. Dubitatur 1. an distillatio voluntaria, nempe illa quæ est fluxus humoris inter urinam et semen, sit culpa mortalis? Resp. Si est cum aliqua delectatione venerea, vel cum commotione spirituum, erit quidem mortalis, si non vitetur, sicut vitanda est pollutio. Si vero evenit absque sensu et commotione, poterit ea permitti tanquam emissio alterius excrementi, ut communissime docent Caj. Bonac. Sayr. Busemb. Holzm. Salm. Sporer. Elbel. etc. Diximus permitti, sed nunquam potest data opera procurari, ut recte advertunt Sanch. et Bonac. (5).

31. Dubitatur 2. an liceat expellere semen corruptum medicinis (nunquam enim licet tactibus)? Negant Salm. et Roncaglia; sed communius affirmant Laym. Sanch. Bonac. Anacl. Sporer Croix etc. modo expulsio possit fieri sine sensu venereo; et modo semen sit certe corruptum, nec aliter expelli valeat (6).

32. Dubitatur 3. an sit obligatio impediendi pollutionem de se eventientem, puta si inceperit in somno, et in vigilia consummetur? Communiter negant aa. modo absit consensus in delectationem, vel ejus proximum periculum ex præterita experientia; ita Sanch. Concina Navar. Azor. Salmant. Holzm. Spor. Trull. etc. tum quia difficillimum est illam cohibere, cum jam incepta sit; tum quia non tenetur homo eam impedire cum periculo morbi ex corruptione seminis: tunc enim ipsam non vult, sed patitur. Caterum sapienter monet Gerson semper expedire, ut tunc homo conetur impedire quantum potest; saltem (juxta Sanchez) omnino curare debet, ut eo tempore se muniat signo crucis, avertatque mentem ab illa delectatione, invocando ss. nomina Jesu et Mariæ, ut adjuvent ne ipse in culpam ruat. Notandum autem quod si persona

(4) n. 476. — (5) n. 477. (6) n. 478.

existit tunc in semiplena vigilia, et delectetur de pollutione incepta, minime damnanda est de mortali cum ad mortale omnino requirantur et plena advertentia, et perfectus consensus (juxta dicta *Tract. 3. n. 24.* ad 39.), quibus certe caret qui est semidormiens, et ideo non habet usum rationis perfecte liberum et expeditum (1).

33. Dubitatur 4. an sit obligatio vitandi omnes causas in pollutionem influentes? Resp. Si causæ sint graviter influentes, prout certe sunt illæ, quæ sunt graviter culpabiles in materia luxuriæ, nempe tactus, vel aspectus impudici, delectationes morosæ, et similes, sine dubio tenetur homo eas evitare; alioquin pollutio, saltem in confuso prævisa, licet non intenta, illi ad culpam imputatur. Et idem dicendum de pollutione causata ob colloquium diuturnum cum puella inordinate dilecta, vel orta ex actione quæ, esto per se non sit mortalis, esset tamen talis respectu alicujus, qui pollutionibus hujusmodi habitis fuit solitus consentire (2).

34. Advertendum tamen quod, si præfate actiones graviter influentes ponantur ex causa necessaria vel utili, absitque periculum consensus, tunc pollutio ex eis orta non imputatur ad peccatum, ut omnes docent. Hinc etiam prævisa pollutione (intellige semper involuntaria), licet confessariis excipere confessiones, et tractatus legere de rebus turpibus; item chirurgis aspiciere et tangere partes fœminæ ægrotantis, ac studere rebus medicis: ita communiter d. Antonin. Navar. Cajet. Petrocorens. Sanchez Bonac. Anacl. Spor. Salm. Holzman et alii plures cum d. Thoma (3). Idque admittunt Navarr. Hurtad. Roncag. Salmant. Elbel Spor. etc. etiamsi aliquis chirurgus ex officio medens, vel parochus excipiendo confessiones aliquoties in pollutionem consenserit, modo proponat in futurum con-

(1) Lib. 3. n. 479. — (2) n. 482. — (3) p. 3. quæst. 80. art. 7.

venientibus mediis se præcavere ad peccatum vitandum; secus vero dicunt de simplici confessario; hic enim tenetur eo casu abstinere ab audiendis confessionibus, si possit sine gravi suo damno. Imo si parochus vel chirurgus in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit, et non appareat nova probabilis spes emendationis hic omnino tenetur etiam cum jactara vitæ officium deserere (4). Sic etiam II. dicunt quam plurimi, ut Cajet. Bonac. Laym. Sanch. Navarr. Fill. Salmant. Spor. Croix Busemb. Villal. Ledesma Marchant. Trull. etc. licere iis, qui magnum patiuntur pruritum in verendis, tactu illum abigere, etiamsi pollutio sequatur. Recte vero id prohibet Roncaglia, si pruritus non sit valde molestus, quamvis permittat eum abigere cum aliqua tantum commotione. Nihilominus non facile credatur quibusdam puellis quæ tactibus se polluerent, prætextu hujusmodi ardoris: nam si diligenter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus præhabitis, vel ab habitu pravo contracto se tangendi. III. Dicunt etiam Castropal. Laym. Sanch. Armil. Lessius Azor. Navar. Vas. Bonac. Anacl. Salmant. etc. licere equitare causa utilitatis, et etiam recreationis, ut subdunt Sanch. Laym. Castrop. Dicunt quoque Sanch. Laym. Castrop. Holzm. Sporer etc. ex communi, unicuique licere decumbere in aliquo situ ad commodius quiescendum. IV. Demum dicunt s. Antonin. Less. Tolet. Pichler. Salmant. Holz. Spor. etc. etiam communiter licere cibos aut potus calidos moderate sumere et honestas choreas ducere (5).

Si vero causæ leviter influant in pollutionem, alii dicunt omnes esse vitandas sub gravi, prævisa pollutione, etiamsi sint leviter culpabiles. Alii id admittunt, si sint mortales, quam-

(4) Lib. 3. n. 483. et l. 5. n. 63. v. quær. hic. — (5) Lib. 3. num. 483.

vis in alia materia quam luxuriæ. Sed communiter, et probabilius docent. Antonin. Suar. Abulens. Sanch. Silvest. Sa Roncaglia Bonac. Anacl. Salmant. Holzman Elbel etc. non esse obligationem gravem vitandi causas, nisi graviter culpabiles in eadem materia luxuriæ. Diximus *gravem*; nam erit obligatio levis nisi adsit aliqua rationalis causa ut probabilius tenent Sanch. Less. Roncaglia Bonac. Salm. etc. contra Holzman, Croix etc. Imo valde probabiliter Rone et Salm. dicunt non excusari a mortali qui frequenter pollutiones expertus fuerit ex causis culpabilibus (licet per se non graviter) in materia turpi, puta ex lectione turpium curiosa, aspectu picturæ inhonestæ, vel coitu animalium, et similibus quia respectu talis personæ causæ prædictæ non leviter sed graviter influunt. Secus autem aiunt iidem Salm. et Sanch. de causis quæ sunt omnino leves, quas universas vitare esset moraliter impossibile (1). Pollutio habita in somno non est pec-

(1) L. 3. n. 484.

catum, nisi fuerit antea intenta, vel nisi postea quis se complaceat de delectatione habita; si vero gaudeat de exoneratione, vide dicta *Tr.* 3. n. 52.

Denique sedulo hic advertendum, quod in hac materia sexti præcepti oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat, et plures opiniones, quæ speculative loquendo sunt probabiles in praxi improbabilis evadunt. Hinc confessarius ubi periculum potentium inspicit licet actionem, quam illi vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est præsertim respectu eorum qui in vitio turpi habitum in præterito habuerunt: his enim non solum proximis occasiones vitare, sed etiam remotas opus erit; alias ob fragilitatem contractam semper in idem recident, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur.

TRACTATUS X.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE JUSTITIA JURE ET DOMINIO.

1. *Divisio justitiæ juris, et domini.*
2. *Peculium filii familias: de castrensi, et quasi-castrensi.*
3. *De profectio, et patrimoniali, aut acquisito a filiis in negotiatione.*
4. *De adventitio.*
5. *De bonis uxoris.*
6. *Bona clericorum, I. patrimonialia, II. industrialia, III. ecclesiastica, IV. parsimonialia.*
7. *An beneficiatus habeat dominium absolutum fructuum.*
8. *Qui hos fructus recipit a beneficiato.*
9. *Quot modis acquiritur dominium, etc.*
10. *ad 43. De prescriptione.*

1. Justitia dividitur in legalem, distributivam, et commutativam. *Legalis* respicit jura, et pœnas juxta leges;

distributiva respicit personarum merita circa præmia, et honores; *commutativa* bonorum valorem, ut unicuique reddatur quod suum est. Jus autem dividitur in jus *in re*, et in jus *ad rem*. Jus *ad rem* dicitur illud quod præbet actionem ad prætendendum aliquid non adhuc obligatum. Jus autem *in re* dicitur illud quod actionem præbet super re jam obligata, ut est jus quod acquirunt emptor super re empta, aut clericus super beneficio ipsi collato. Insuper jus *in re* dividitur in dominium, et usumfructum. *Dominium* aliud est jurisdictionis in subditos, aliud proprietatis in bona. Præterea aliud est *directum* quod habet princeps in suo feudo, et dominus in fundo in em-

phyteusi dato; aliud est *utile* quod habet feudatarius, et emphyteuta. *Ususfructus* autem est jus percipiendi ac etiam alienandi fructus alicujus fundi: ad differentiam *usus*, propter quem, qui eum habet, potest quidem uti fructibus, quibus ipse et ejus familia indigent, non tamen potest aliis alienare (1).

2. Hinc videndum super quibus bonis habeant dominium filii familias, uxores, et clerici. Et I. quoad filios familias notandum est quadri-fariam posse esse eorum peculium: castrense, quasi-castrense, profectitium et adventitium. I. *Castrense* sunt illa bona quæ filius acquirat in militia, aut propter militiam. II. *Quasi-castrense* sunt bona acquisita in officiis publicis, judicis nimirum, advocati, lectoris, medici, et etiam notarii, ut docent Nav. Mol. et Lugo; et Sanch. addit officium architecti principis vel civitatis. Istorum peculiorum filius plenum dominium habet in proprietate, et usufructu. Et idem dicitur de eo quod acquirat filius familias qui est clericus, tam ob officium clericale (juxta id quod habetur in *Authent. I. c. de Episc. et Cler.*) quam ob quemlibet alium titulum, juxta communem sententiam Mol. Lug. Sanch. etc. (2). Excepto titulo beneficii; de quo questio est an clericus acquirat plenum dominium fructuum, ut videbimus *seq. num.* 7.

3. III. *Profectitium* vero sunt bona quæ filius negotiando patris pecuniam lucratus est, aut filio donata fuerunt, sed tantum patris intuitu. Hoc peculium est solum patris quoad proprietatem et usumfructum. Notandum tamen 1. in dubio an bona sint filio donata intuitu ejus, an patris, tunc filius integre potest ea retinere tantum, si bona fide incepisset ea possidere. Notandum 2. bona a patre in patrimonium filio data, ut ordinatur in *Sacris*, non esse amplius profectitia; sed hæc tamen debent confer-

(1) lib. 3. n. 486. 487. — (2) n. 488.

ri cum fratribus, cum clericus hæreditatis paternæ portionem exquireret. Not. 3. si filius negotiatus est bona paternæ nomine patris, lucrum fore peculium profectitium; si vero nomine proprio, fore adventitium ut docent Lugo et Mol. Et in dubio an lucrum provenierit ex bonis patris aut alterius, tunc tantum habetur profectitium, cum filius habuit bonorum patris administrationem, Lugo cum Gomez Bartol. etc. Nota 4. si filius negotiatur bona patris, extra domum paternam morans, et nihil a patre recipiens pro alimentis, tunc lucrum est adventitium; sed si negociatur in domo patris, et alimenta ab eo recipit, lucrum est profectitium. Sed si servitus, quam filius præstat, sit excedens, tunc potest prætere stipendium (3); circa hoc vide *infra num.* 228.

4. IV. Denique peculium *adventitium* sunt bona quæ proveniunt filio aliunde quam a patris, aut sunt donata filio intuitu suo proprio. Hæc, si sunt consumptibilia usu, pater disponere potest, cum obligatione tamen ea restituendi filio post suam mortem; si vero sunt stabilia, filius habet solam proprietatem et pater usumfructum, etiamsi sint bona majoratus, ut dicit de Lugo. Sed in quibusdam casibus ad filium spectat etiam ususfructus, puta 1. si ususfructus etiam donatus fuisse præcise filio, aut si donatio facta fuisse contradicente patre. 2. Si filius simul cum patre succedat in fratris hæreditatem. 3. Si filius recipiat dotem sine patris fidejussione. Ceterum extra hos casus filius non potest de bonis adventitiis sine patris consensu disponere; et etiam cum consensu patris non potest testari, nisi ad causas pia, ut ex *c. Licet. de sepult. in 6.* Ususfructus vero est patris usquedum hic vivit, licet filius ex patria potestate exiverit, dummodo ad Episcopatum non promotus, aut ad aliam magnam dignitatem; Salm. et Holzmann. Et si

(3) L. 3. n. 488 v. 3. Peculium.